

Ecce Dómine tu cognovisti ómnia novíssima, et antiqua : \* tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : \* confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo ? \* et quo a fácie tua fúgiam ?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : \* si descéndero in inférnum, ades.

Si sumpsero pennas meas dilúculo, \* et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : \* et tenébit me dextera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : \* et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : \* sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : \* suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : \* mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occulto : \* et substántia mea in inferiórius terræ.

Imperféctum meum vidé-runt óculi tui, ꝛ et in libro tuo omnes scribéntur : \* dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus : \* nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : \* exsurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : \* viri sánguinem declináte a me :

Quia dícitis in cogitátione : \* accípiet in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine óderam : \* et super inimícos tuos tabescébam ?

Perfécto ódio óderam illos : \* et inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : \* intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : \* et deduc me in via æténa.